



~~11-58~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
11-58
SIGNAT. clvccccxiii.



19

CONSCIENTIA
STUDIOSORUM LIPSI-
ENSIUM,

Quotquot

Annô M DC LXXXII.

Tumultui interfuerunt,

Omnium,

Quærens Medicinam & Offerens,

Interprete,


D. VAL. ALBERTI, P. P.

Plutarchus de animi tranquillit. propè fin.

*Malè factorum Conscientia, veluti ulcus in carne,
in animo pœnitentiam relinquit, pungentem
subinde atque sauciantem. Alios enim do-
lores ratio tollit; pœnitentiam solam efficit,
à sese ob pudorem morsibus crebris vexatam
& pœnas dantem.*



CONSCIENCIA.



Uulnerata sum & ad vulnerantes, ut me sanent, confugio. Mirum nimis; sed multò magis, quòd iidem, cum seipsos simul fauciârint gravissimè, meâ vicissim ope sanitati sint restituendi. At verò quid mirum? Morbos utrinque nostros exactè novimus; causas eorundem non ignoramus; vires medelæ in manu positas habemus; quid in arte medendi desiderari, quid optari possit ulterius? Enimverò nec falli ego possum, nec fallere. Una sum in singulis, sed una mille testes contra singulos. Inite numerum; quot millia testium erunt adversus universos? Interfui ego consiliis vestris; quid? in Vobis fui consulentibus ipsis, melioraque dum suadebam, primum ictum per Vos, sed non sine Vobis, accepi. Ipsi unà mecum jam tum vulnerati fuistis, quando societatem criminis decrevistis; sed eò deterior vestra fuit conditio, quò minus primam hanc plagam sensistis. Hinc insecutum mox facinus ipsum; sed & novum in me, novum in Vobis vulnus. Agmine factò incedebatis Vos; ego sola resistebam; non sola vulnerata fui. Quot vestigia pedum vestrorum, tot in Vobis vulnera numeravi. Ad Magistratum Vestrum, quamdiu gloriam obsequii servare studuistis, duxi ego Vos; jam invitam me ac repugnantem ad eundem rapuistis ipsi. Jussi à me parère, imperare ausi fuistis. Adversus

sus Patres Filii Vos insurgere, sententiamque, quam ipse Pater Patriæ de Nationibus Vestris certissimè tulerat, in dubium vocare non erubuitis. Imò verò, quando recessistis, simul ad novum facinus processistis. Domum, quam alii propter Dominum magni æstimant, propter eundem Vos ludibrio habuistis, lapidesque, qui me silente clamarent, jactu temerariò irritastis. Tot tantaque tenebrarum opera luce palàm fecistis; hæc tumultuantis temulentia specimina ficci atque sobrii edidistis. Nihil verò horum sine vulnere in me, nihil sine vulnere in Vobis tentatum, patratum fuit. Quis vulnera nostra numeret, quis efferat? Faciliùs magnitudinem eorum intelligere potestis, si Deum, si Magistratum, si Parentes & Patronos, si denique Præceptores intueamini, horumque omnium colata in Vos beneficia debitè expendatis, æstimetis. Hi nimirum sunt, quos per latus meum, quantum in Vobis est, pupugistis, vulnerastis. Deum in omnibus actionibus Vestris honorandum esse, quotidie, me monente, percepistis. Quid ad honorem Dei magnum illud dedecus, quò Vicarios ejus temerariè affecistis? Ordinem, quem subditos inter & Magistratum ille instituit, Vos evertistis. Ducem me Vobis ab eodem datam esse, novistis; sed ducentem rejecistis, fauciastis. Amabilis ille sed & verendus Principis vultus, qui superiori annò inter homagii solennia in oculis omnium atque ore, plaudentibus omnibus, sedebat, animis vestris propemodum excidit, ut ad mandata ejus, ad præmia & pœnas, quibus Vos, quotquot hòc locò estis, subjecti estis, humiliter respicere neglexeritis. In solatium non paucorum Optimo Principi semper in medio cibus semperque mensa communis; plurimis ærariò etiam patente ac favente, quod spem Ecclesiæ & Reipublicæ, publicis sumtibus,
in.

in Vobis suscipit. Tantæ gratiæ quomodo vel unus de-
meminisse potuit? Principis est, committere vices suas
Magistratui; vestrum, huic promptè se submittere. Sed
ne juramenti quidem religio, quâ Rectori obstructi estis
Vos, Vos dicto audientes habuit; tantum abest, ut spon-
tè gloriam parendi meriti sitis. Frustrâ ego eram in oc-
cinenda Vobis formula, quâ fidem Academiæ in ipso ejus
limine dedistis; imò in adhortando, in dehortando eram
frustrâ. Sed frustrâ haud erat ictus vester, quò vulnus
longè maximum Vos impressistis mihi. Quid tenerius
me? quid violatione juramenti penetrans magis? Simili
vinculo Principi & Academiæ obligatus est Magistratus
vester; ille verò dùm volens tenetur suò, vestrum nolen-
te illò laxatum est à Vobis & perruptum. Tanta inobe-
dientiæ vestræ fuit vis, quam benevolentia Magistratûs
vestri opposuistis! Semper ille ingenia vestra beneficiis
potius, quàm remediis, experiri voluit: semper jura ve-
stra contra injustas aliorum molitiones integra servare
studuit; jurium nomine injurias sibi à Vobis ipsis inferri,
tantum ægrè tulit. Quid enim aliud in eo desiderare po-
tuisstis, quàm quòd fortiter & severâ, ubi opus erat, lege
Vos amavit? Parentum hic mos est, quem ille justissime
fecit suum. Sed quid mirum, paterni Vos amoris, moris
paterni Vos dememinisse, cùm Parentum ipsorum, &
qui sæpius hos æquant beneficiis aut superant, Patrono-
rum Vestrorum nullam habueritis rationem. Dedecorâ-
stis Vos & Urbis autoritatem & Magistrorum, ad quos,
jubentibus illis, tanquam ad mercaturam bonarum arti-
um profecti fuistis. Quid turpius? quid Filiis & discipu-
lis indignius? Parentibus, ut vivere, Præceptoribus, ut
benè vivere possitis, me quotidie docente, debetis. Utris-
que quam pro tantis beneficiis gratiam rependistis? for-
tè, ut

tè, ut Parentes ipsi vivere, ipsi Præceptores benè vivere
definant, postquam curæ eorum, hæcenus in utilitate
vestra unice defixæ, in anxietatem & mœrorem abie-
runt. Indè verò quid accedet Vobis commodi, quid e-
molumentum? Jacturam facietis benedictionum paterna-
rum & beneficiorum, quibus fortuna vestra hucusque
sustinetur: Doctrinæ, quam ex ore fidelissimorum Ma-
gistrorum haurire potestis, penuriâ mulctabitis Vos
ipso. Memini ego, quæ à Vobis nunquam divelli potui,
quid consilii à quibusdam (omnes enim non accuso,) agi-
tatum fuerit: abitionem esse parandam, properandam:
alibi non deesse, à quorum ore in omni eruditionis gene-
re pendere possitis. Absit omen! præcipitium est, quò
confistitis, unde lapsus facillimus. Migrare ex Acade-
mia nulli est prohibitum; sed, me nondum sanatâ, omni-
bus valdè periculosum. Ægrum habere comitem, mole-
stum est; quid me Ducem? Sanam me, Vobis nondum
sanatis, nullibi habebitis. Mutandus prius est animus,
quàm locus. Emendanda virtutibus sunt vitia; offensæ
novis officiis sanandæ. Certandum est affectibus, sed
bonis. Præceptores Vestri Vos reluctantes & invitos
beneficiis afficere contumaciter perseverant; num in-
gratâ fugâ Vos illa declinabitis? Tentant illi me Vobis-
cum conciliare; quid invidēbitis mihi occasionem, quâ
ego vicissim Vobis illos placare possim? Cavete, ne con-
tra voluntatem Parentum & Patronorum Vestrorum,
quid minemini, machinemini; vulnus aliàs vulnere, sic-
ut scelus scelere punietur. Nunc quidem vulnera nostra
nondum deplorata esse scio. Admovebo tempestivè, si
per Vos licuerit, manum; sanabimurque omnes. De-
um, Magistratum, Parentes, Patronos, Præceptores gra-
viter offendistis. Placet his omnibus, hos placat omnes
pœni.

pœnitentia; sed seria, nec nimis fera. Per hanc purgatur vulnus à pure; quô remotô, instillabo Vobis reverentiam erga Deum, veram illam unicamque panaceam, quæ vulneribus reliquis omnibus facile medebitur. Deum reverentes non resistetis Magistratui, qui à Deo est; non negligetis jussâ Parentum & Patronorum monita, à quibus, post Deum, vita & fortuna vestra pendet; non molesti eritis Præceptoribus, qui ad Deum ipsum Vos perducunt. Omnibus suum, Superioribus fides & obsequium vestrum, Vobis favor illorum & patrocinium constabit. Loquor de curatione vulnerum tanquam certâ. Quantum enim medelæ huic meæ tribuere possim, experta scio; nec ulla spes in Vobis ipsis comparet. Vidi ego, qui ex Vobis inter audiendum divinos præcones, vulnus vestrum acriter, ceu par est, attrectantes, lachrymas effunderent. Certissimum hoc indicium ejetæ jam purulentæ fæcis. Numeravi non paucos, publicè privatimque Doctoribus suis constanter adhærentes, & salutare doctrinas animis calamisque diligenter excipientes. Magna hæc recuperatæ sanitatis pars est: quid desperem de majoribus ejus incrementis? Plerique inter Vos, me teste, per incogitantiam magis quàm malitiam, audaciori animô quàm consiliô, lapsi sunt; homini similes, qui à turbine abreptus dejicitur in flumen; quid ægrè feratis, esse, qui extrahere Vos, inque securitatem asserere velint? Pauci studiô se dederunt præcipites, comparandi illis, qui ex desperatione profiliunt in undas, quibus mox suffocentur. Periculum horum præsentissimum, nisi Deus ex machina. Adest verò ille, modò ipsi non defuerint sibi. Adsum & ego, volens & potens sanare, ut & ego in illis saner ipsa. Quodsi manum meam non admiserint, insana torquebo non sanos, meumque vulnus novis ipsorum vulneribus vindicabo.

Nolite

Cicero in *Nolite enim putare, quemadmodum in fabulis saepenumero*
Orat. pro *videtis eos, qui aliquid impiè scelerateque commiserint, agi-*
Sex. Roscio *tari & perterreri furiarum tadis ardentibus. Sua quemque*
Amerino. *fraus, & suus terror maximè vexat: suum quemque scelus*
agitat amentiaque afficit: sua mala cogitationes conscientia-
que animi terrent. Ha sunt impiis assidue domesticaeque
Esa. LXVI, *furie: Ego ipsa sum vermis eorum, qui non morietur,*
24. *& ignis eorum, qui non extingue-*
tur.



Ung. VI 58 (10)

ULB Halle 3
002 686 287




Sb,

VD17
Sep. 2000 Pd.







19

SENTIA
M LIPSI-
M,
LXXXII.
terfuerunt,
m & Offerens,
BERTI, P. P.

